

passus, ut Arca Domini circumferretur cum illo à Sacerdotibus, 2. Reg. 1.5. num. 2.5. cujus præsentia se existimabat indignum. Quod tamen permisit Saul, ut legitur 1. Reg. 14. n. 18. Et ideo David ob suam humilitatem sublimatus est super cæteros Reges, ut Deus fructu ventris ejus poneret super sedem suam. Vide Chrysostomum cit. de hac re latè.

101. Quinto D. Ambrosius lib. 3. de Virginit. Non confusus est Petrus, dicens: Exi à me, Domine; quia peccator sum ego: vir enim sapiens, & gravis, in quo esset Ecclesia fundamentum, & magisterium disciplina, nihil utilius sibi esse prospexit, quam ne secundum operis extolleretur eventus, & ideo: Exi, inquit, à me, Domine. Non rogat; ut deservatur, sed ne infletur. Cum Petrus tot in se collata beneficia videret, in Christi amicitiam esse receptum, eum in sua navicula recepisse, ac ejus dono tantam piscium extraxisse multitudinem; ne tam secundis rebus super se extolleretur, postulat, ut ab illo discedat, nam, ut subdit D. Ambrosius, Illecebrosa jactantia est, quam Paulus veretur, 2. Corinth. 2. num. 7. Ne magnitudo revelationum extollat me. Sexto D. Antonius Ulyssip. serm. in Dom. 5. post Trinitatem. Ubi nunc, ait, qui ex impenso sibi beneficio timet aggrari, ut timuit Petrus: Exi à me, quia peccator sum? Cum Apostolus agnosceret, ex Dei præsentia tanta beneficia in eum distillare; & præ sua tenuitate, cum se peccatorem videret, ea supportare non posset, postulat, ut à se discederet. Sic sancta Theresia exclamans à Domino petebat, beneficium in se divinis modum imponi.

102. Septimo Carthusianus. Ex magnitudine miraculosi effectus majestatem causa pensavit, & quanto Petrus Christi virtutem, excellentiamque magis attendit, eo propriam culpam, ac pravitatem evidentius intellexit, atque humiliter fassus est. Cum multi essent in navicula, solus Petrus timet, & procumbit ad genua Jesu. In ipso plenior erat cognitio fidei, & supernaturalium mysteriorum; & ex Dei cognitione timor ejus crevit. Conqueritur Deus per Jeremiam 2. n. 15. Non esse timorem meum apud te, & tamen cum felices animas describit Isaias, ait cap. 33. n. 16. Regem in decore suo videbunt oculi ejus, cernent terram de longè. Cor tuum meditabitur timorem. Israël non habet Dei timorem; & tamen sublimes illi spiritus, dum eum in sua vident elegantia, & pulchritudine, pavent, & timent; quia Deum videbant, & perfectissima ipsius cognitione potiti erant, ideo timore replentur. D. Cyrillus Alexandrin.

103. Ait Isaias 11. num. 2. Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientia, & intellectus, spiritus consilii, & fortitudinis spiritus scientia, & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini. Quarto, quem adimplet spiritus timoris Domini? Eum, qui insipientiam, & ignorantiam Dei habet? Minime; sed eum, qui est plenus sapientia, scientia, & intellectu. Ubi enim hujusmodi dona dantur, ibi residet timor. Guilhelmus Parisiensis lib. de moribus tract. de timore; & introducit loquens ipsemet timor. Dicitur ab Isaias, ait, requiescet super eum spiritus sapientia,

104. Ratio dubitandi. Euthym. Theoph. Arias.

105. Ambrosius. Timor perfectus datur confidentiam.

106. Ant. Ulyssip. Vivendum inter timorem, & spem.

107. Bernard. Psalm 146. Homo Dei præsentiam reveretur, & timent.

108. comedere.

& intellectus; & ita de aliis. Deinde dicitur est Replebit eum spiritus timoris Domini: nec mirum, cum ego plenitudo sapientia sum, cum sit ipse Dei thesaurus. Quid ergo decuit magis implere illum, in quo sunt omnes thesauri sapientia, & scientia Dei. Expende verba, quia in illo sunt thesauri sapientia, & scientia Dei, decuit eum implere timorem.

QUESTIO XVI.

Quare Petrus, dum petit, quod Christus ab ipso exeat, ad illum accedat?

Contradictio videtur in facto. Postulat Petrus, ut Christus ab ipso exeat; & tamen dum hæc precatur, ad ipsum accedit, ut clarius legunt Euthymius, Theophylactus, Arias, & alij. Si rogas, Petre, ut Dominus exeat à te, ab illo recede, & ad ipsum non appropies.

Respondet primò Divus Ambrosius citatus à Divo Thoma in sua Catena. Admirabatur Petrus dona divina, & quo plus metuerat, præsumebat magis, Petrus Deum timet, postulat, ut exeat ab eo, & ad illum accedit: nam perfectus timor quandam piam dat confidentiam in virtutis negotio, ut Deum habens; timore enim perfecto, ut filiali non tabescit animus, nec deficient vires, sed potius animantur, ut Deum perquirant, mandata ejus adimplendo. Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis ejus volens nimis, Psalm. 111. num. 1. Qui in Dei mandatis volat, ad eum volitat; nam, ut ait Divus Remigius, finis legis Christus, qui per legem ambulat, ad Christum venit.

Secundo, Divus Antonius Ulyssiponensis, serm. in Dom. 5. post Trinit. In hoc duo notantur, ait, Timor, de peccatis: Exi à me, quia homo peccator sum. Spes de misericordia: Ad genua Jesu proci-die. Vigebat in Petro timor, & spes. Ex timore non audebat assistere cum Domino, cum ejus celsitudinem videret, & suam utilitatem agnosceret. At Domini benignitas, quam multis experiebatur Petrus, dabat spem misericordia, & ideo, ut eam impetret, genua flexo accedit ad Christum. Vivendum nobis est inter spem, & timorem Domini.

Dominus Deus noster ignis consumens est, Deuter. 4. num. 24. Et tamen dicitur, Oleum effusum, Cantic. 1. num. 2. Quare hæc? ignis, ut peccatur ad ipsum accederet timeat, ne peccat, & fluat, sicut cera à facie ignis. Oleum effusum, misericordiam, salutem, ac medicamen promittens. Et ideo lamentabatur Propheta, quod plaga non erat fota oleo, Isai. 1. num. 6. ut vitæ spem homo de tanta misericordia habeat, Divus Bernardus serm. 6. in Cantic. Anima secum referat impressa divina vestigia, ipsa sunt timor, & spes: ille judicii, ista misericordia representans imaginem. Merito beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia ejus, psalm. 146. Et serm. de verbis Apocal. 1. de Nativit. Maria. Quidni vereatur peccator accedere, ne quemadmodum fuit cera à facie ignis, sic ipse peccat à facie Dei.

Præcepit Deus Israëlitis, quod ita comedere.

Exod. 12. In Deo consideranda majestas, & humanitas. Bernard. 109. Inter timorem, & amorem ambulantium. Dear, 10. Zeno. rent agnum Paschalem? Caput cum pedibus vorabit, Exod. 12. n. 9. Sed quare conjungitur caput cum pedibus? caput divinitatem dicit, pedes humanitatem, ut ex multis locis sacra Scripturae notum est. Jubet ergo Deus in sui cognitione hæc consideratione gustare, ac intelligentia percipere, divinitatem nempe, & humilitatem ejus; quia si fulgor divinitatis nos terreat, benignitas humanitatis nos misericordia corroborer. D. Bernard. serm. 6. in Cantica. Rectè Apostolo, ait, visum est, caput Christi referre ad Deitatem; pato & nobis non incongruè videri, pedes ad hominem pertinere: quorum alterum misericordiam, alterum judicium nominamus. Nota sunt vobis duo ista vocabula de plerisque Scriptura locis. Quia vero misericordia pedem, Deus in carne, cui se univit, assumpsit, docet Epistola ad Hebræos, tentatum prohibens per omnia Christum pro similitudine absque peccato, ut misericors fieret. Quid illud alterum, qui judicium nuncupatus est, nome ad hominem aequè assumptum, & ipsum pertinere ipse Deus homo aperte significat, ubi datam sibi perhibet à Patre præstantiam, iudicium facere, quia filius hominis.

Tertio, Petrum maxime adurgebant amor, & timor Dei. Timor ex propria fragilitate proveniens eum suadebat, ut à Domino recederet; ac verò amor eum impellebat, ut Christi confortium quaereret, ac ad ipsum tenderet. Inter timorem, & amorem Dei est ambulandum. Ait Moyses ad populum: Et nunc Israël, quid Dominus Deus tuus precit à te, nisi ut timeat Dominum Deum tuum, & ambulet in viis ejus. Deuter. 10. n. 12. Nil aliud Deus vult ab Israël, nisi ut timeat, & diligat. Timeat, & reverentiam exhibeat. Diligat, ut nihil aliud quaerat, nisi ipsum, à quo omnem gratiam, misericordiam habeat. D. Zeno Veronen. serm. de timore. Videte hunc timorem nobis necessarium, qui in Dei amore consistit, qui voluptate sua se parit, divina legis agnitione construit decorem: sine sine studeat timore, ne quid, præter Deum, quem diligit, timeat.

Lucæ 5. num. 9. Stupor enim circumdederat eum, & omnes, qui cum illo erant in captura piscium, quam ceperant.

VERSIONES.

- Syracus. Etenim pavor invadebat eum, & omnes, qui cum eo erant, propter capturam illam piscium quam comprehenderat.
- Vatablus. Stupor comprehenderat eum.
- Arias. Stupor occupaverat eam.

EXPOSITIO.

110. QUAMVIS humilitas Petri maxime esset laudanda, qua deprecatus est, ut Dominus à se exiret; tamen Evangelista apponit rationem, quare illa dixit quia nisi esset vehementi

stupore occupatus, fortasse illa non proferret, ut notat Tolet. Et dicitur, Stupor circumdederat; quia totus homo erat pavor repletus. Duæ autem hujus stuporis causæ tanguntur, ut ait Hugo. Prima ex consideratione propriæ fragilitatis. Exi à me. Secunda ex beneficentia Domini in captura piscium; quia in eo loco, in quo antea nec unum habuerat, modò tantam multitudinem extrahit. Et hæc stuporis causa tenuit etiam locos Petri. Et fuit tam evidens miraculum, ut non unus, vel alter mirarentur, sed omnes.

Lucæ 5. n. 10. Similiter autem Jacobum, & Joannem filios Zebedæi, qui erant socii Simonis. Et ait ad Simonem Jesus: Noli timere; ex hoc jam homines eris capiens.

VERSIONES.

- Syracus. Ne timeas; posthac piscaturus es homines ad vitam.
- Arabicus. Et nunc eris piscator, qui piscaberis homines.
- Tertull. lib. 4. Ne time, abhinc homines adyer. Marc. eris capiens.
- cap. 9.
- D. Ambr. lib. 1. Eris homines vivificans. Hexæm. c. 6.
- & lib. 6. c. 8.
- Cajetan. Ex hoc nunc eris homines vivos capiens.

EXPOSITIO.

111. PAVOR tantæ rei non solum invasit Petrum, sed etiam eos, qui erant in alia, verbi gratia, filios Zebedæi Jacobum, & Joannem. Et, ut ait D. Bonavent. sicut fuerunt socii in stupore, ac exercitio piscationis; ita & in dignitate vocationis. Marth. 4. n. 19. ut dicam capite inferiori. Apoc. 1. n. 9. Ego socius in labore sicut & in felicitate. Apoc. 1. 2. Cor. 1. sicut fuerunt socii in passionum estis, sic eritis & consolationum. Sequitur textus: Ait ad Simonem. Petrus se humiliando, Dominum non expellebat, sed potius attrahebat; & ideo Dominus eum confortat animando, ab illòque timorem excludendo. Et ait, Noli timere; id est, ne timeas aliquid mali, vel submersionem ex mea præsentia; non enim veni, ut te timore terrerem, sed ut multis donis cumularem. Et excludit Dns ab eo, ut ait D. Bonavent. timorem pusillanimitatis, qui opponitur confidentia, non vero timorem reverentia, & illum excludit timorem ut quæ sequuntur, attentius audiat.

112. Ex hoc, id est, ab hoc nunc, ex hoc tempore, seu ex hoc evento, eris homines capiens. Verbum, capiens, valde gravidum est sensibus, ideoque à plerisque

plerisque varie legitur, ut patet ex versionibus. Tamen accommodatissime legendum est cum Syriaco. Eris homines ad vitam capiens, nam in piscatione naturali piscis dum piscatur, moritur: at in hac spirituali piscatione, non ad mortem, sed ad vitam ex hac mundi aqua extrahitur homo. Et dicitur Petro, Eris homines capiens, ut notat D. Bonaventura, non aurum, non dignitates, sed homines, 1. Corinth. 12. n. 14. Non quare, quae vestra sunt, sed vos. Ad Philipp. 4. n. 17. Non quare datum, sed fructum abundantem in ratione vestra. Et dum haec verba dicuntur Petro, ut notat D. Augustinus, supra citatus, Beda, D. Bonavent. Hugo & alii ac dixi quasi. 1. nondum in Apostolatam eligitur sed praedicatur, quod postea sit diligendus. Quare Deus ad hoc munus Evangelicum vocavit piscatores? satis explicabitur inferiori capite.

Syriacus.

Bonavent. 2. Cor. 12. Ad Philip. 4.

August. Beda. Bonavent. Hugo. Prædicator, non aurum sed animas quarat.

QUESTIO XVII.

An oratio Petri fuerit exaudita?

113. Deprecatus est Petrus Exi a me, quia homo peccator sum, & tamen Dominus non recessit ab eo; ac proinde ejus petitioni non annuit Christus. Respondet primò Tolletus, & ad litteram, annot. 14. Si petitionem, in se ipse consideremus, non esse exauditam, petebat enim à Christo, ut ab eo exiret; quod tamen Dominus non fecit. Si tamen finis, & intentio petitionis attendatur, maximè exauditus est Petrus. Deprecabatur, Christum à se exire, ea intentione, ne quid mali ob suam indignitatem præsentia Domini pateretur. Et hoc maximè impetravit: nihil enim detrimenti est passus, nec submersione oppressus, sed cum Christo magna securitate est munitus, & multis dominis exaltatus.

Tollet. Finis orationis exauditi.

114. Glossa. Beda. Hugo.

Secundò Glossa, Beda, Hugo, Non recedit Iesus, ait, quamvis Petrus dixerit: Exi a me Domine, sed Dominus ab eo non recedit, sed ad litus producit, id est, ad soliditatem fidei. Sæpè Dominus nostris petitionibus non annuit ob nostrum bonum. A Petro deprecante separationem, non recedit Dominus, sed ad soliditatem fidei producit, ad hoc ut mereatur tantum per fidei confessionem, ut caput totius Ecclesiae constitatur.

115.

Tertiò D. Augustinus lib. 1. quæstionum Evangelicar. quæst. 2. Sic, inquit, non enim recessit ab eis Dominus, sed eos subductis navibus ad litus produxit, significans in bonis, & spiritualibus viris non esse oportere hanc voluntatem, ne peccatis imbarum commoti, quo quasi securus, tranquillisque vivant, manus Ecclesiasticum deserant. Aderat Petrus qui se peccatorem protestabatur, & navis periclitabatur submergi; & tamen Dominus in tanto periculo, nec deserit navem, nec nautas, Doctores ac Prælatos docens, quòd prætextu securioris tranquilliorisque vitæ, & incolunitatis non debent munus suum, commissolique sibi deserere subditos sed eis in ipsa tempestate assistere, eosque ad salutis perducere portum. Cùm Moyses videret Ægyptum percurrentem, injuriâque Hebræo facientem, ipsum interfecit, Exodi 2. num. 11. Quid agis, Moyses?

Prælati subditos in periculo non deserat.

Nōne tibi notum est, quòd si Pharaon illud agnovit, tibi necessarium erit, fugere ad desertum, multas sollicitudines, ac labores querere: Quare ergo, cùm sis in solio regni illud contemnis, & tot, tantisque periculis te exponis? Agebatur, jam Moyses spiritu veri Præfulis, & ideo pro tuenda, conservandâque subditi vita omnem sollicitudinem, ac laborem nihil ducebat. Divus Basilius homil. 1. in Hexæmeron. Moyses, ait, tyrannidis fastum negligens profusus ad sua genitibus contribules requirit eorum humilitatem complexus prælegit calamitates erumnâque cum Dei populo experiri, quàm ut temporali voluntate perfruitur se obnoxium redderet peccato. Vide supra cap. 3. num. 248. & cap. 5. num. 73. & infra c. 1. num. 60.

Prælati subditos labores contemnat.

Basil.

QUESTIO XVIII.

Quare soli Petro dicatur: Eris homines capiens?

116. Aderant in hoc eventu Andreas, Joannes, & Jacobus, qui etiam erant homines piscaturi; & tamen Christus solum loquitur cum Petro, eique ait: Eris homines capiens. Cur hæc non dicuntur aliis, qui simili piscationi erant incumbendi? Ad hoc respondet primò Divus Antonius Ulyssipontensis serm. in Dom. 5. post. Trinit. sæpè citato. Hæc specialiter ad ipsum Petrum pertinet; hæc enim, quia fuit humilis, vita sua maculas erubescens, confessionem verecundia non reprimens, sed pariter de cælo vultu remedium querens, eris homines capiens. Optimus gradus ad sublimia, humilitas ac peccatorum confessio: & quia inter omnes, qui aderant in navi, Petrus humiliatur, ad genua Christi procumbit, peccata sua cognoscens confitetur: Exi a me, quia homo peccator sum; ideo ei specialiter dicitur, Eris homines capiens; ac ad dignitatem Apostolicam esse eligendum, ei manifestatur.

116.

An. Ulyssip.

Confessio peccatorum gradus ad sublimia.

117.

Secundò Carthusianus. Sicut Petrus, ait, se Christo singulariter humiliavit, sic meruit singulariter consolari ab eo, & ait ad eum: Eris homines capiens, ex hoc hujus tua obedientia, ac reverentia mihi exhibitâ stuporis, humilitatisque merito prædicator, & Apostolus effiteris. Solus Petrus magnum suum meritum erga Christum declaravit humiliando se, reverentiam exhibendo, ac prompta obedientia mandatis Domini obsequendo, ideo erga ipsum tam excellens donum declaratur, Eris homines capiens; ubi enim meritum se prodiit, ibi & honor præmii refulgete decet: & qui meritis est conspicuus, Domini mercede est condecorandus.

117.

Ubi meritum, ibi præmii.

Tertiò Beda, Haymon, D. Antonius citatus, quod ante omnes docuit D. Augustinus lib. 1. de consensu Evangelistar. Ideo hoc peculiariter dicitur Petro, quia peculiariter ei promittebatur piscatio, qua piscaturus erat homines reti Evangelico, tanquam supremus piscator, ac rector totius navis Ecclesiasticæ. Et ideo Dominus magno mysterio navim Petri ingrediatur; jubet ei in altum ducere eam, laxare retia; & ei peculiariter dicitur, Eris homines capiens. Sic etiam specialiter ait Dominus Petro Matth. 17. num. 26.

118.

Beda. Haymon. An. Uly. August.

Vado

Cap. VIII. Vocantur Petr. & Andreas. 237

Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, &c. Aliis semel dicitur, Faciam vos fieri piscatores hominum. Matth. 4. n. 19. At verò Petro, tanquam supremo prælato, toties hæc obligatio repetitur, utpote ei maxime commendata, arque commissa.

mittentes rete in mare; erant enim piscatores.

VERSIONES.

Syriacus. Quumque iter faceret juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, &c. in mare retia projicientes.

Parablas. Pagn. Jacientes retia in mare. Arias. Vidit Simonem dictum Petrum, & Andream fratrem ejus, mittentes verticalam in mare.

ALTER TEXTUS.

Marci 1. n. 16. Et præteriens secus mare Galilææ vidit Simonem & Andream fratrem ejus.

EXPOSITIO.

119. PONITUR hæc, ut ait Cajet. miraculi effectus: nam omnes incolæ simul cum navibus, cùm essent appulsi ad terram; omnibus relictis, scilicet piscibus, retibus, navibus, mercantibus, ac locis, secuti sunt Christum. Qui Christum perfecte legitur, omnia dimittere debet, quæ possunt inservire, eique occasiones dare peccati. Deinde ne homo impediatur, ac detineatur ab ipsis rebus. Unde eleganter ait D. Bernard. super Ecce nos reliquimus omnia. Resse fecisti, Petre, qui currem sequi non poteris operatus, qui exaltavit, ut gigas ad curvandam viam. Et D. Anton. sæpè citatus, hoc confirmat exemplo parentis Eliæ. Manus Domini facta est super Eliam, accinctisque lumbis curriebat, 3. Reg. 8. n. 46. Manus Domini hoc est, gratia Dei facta est super Eliam, accinctis lumbis per castitatem, curriebat per pauperatam. Et ait Evangelista, Secuti sunt eum, hoc est, ob reverentiam cum eo iverunt ad publicandam Dei mirabilia, quamvis postea ad piscationem redeierint, ut notant Glossa, Bonav. Carthusianus, Hugo, & alij, quousque vocati sunt à Domino Matth. 4. Venite post me quia tunc immobiliter, ac individualiter cum Domino permanerunt.

119. Cajet.

Bernard.

An. Ulyssip.

3. Reg. 8.

Glossa.

Bonavent.

Carthuf.

Hugo.

Matth. 4.

EXPOSITIO.

PRIMUM adnotat hic Evangelista: tria circa personam Christi, quatuor circa Apostolos. Primò Christum ambulante. Secundò locum in quo ambulabat, juxta mare. Tertiò quod ambulando egit. Quartò, quos vidit, duos fratres. Quintò, eorum nomina, Simonem & Andream. Sextò, Occupationem illorum, mittentes retia. Septimò, Conditionem, ac officium eorum; erant enim piscatores.

primò, Ambulabat Iesus, ut ait Albertus Magnus, non tam gressibus corporis, quam irradiatione, & gestatione sua illuminationis. Tanquam verus Sol, non in uno loco luce sua sisebat, sed bar per omnia diffundebar. Seu, ut ait Hugo, Ambulans Prædicatores vocabat ad ambulandum. Non sistent, sed versans per loca, ut sui exemplo suos doceret ad iter agendam. Vel deambulabat formam agens meditabundi; non ratione sui, cui omnia sunt in promptu, ac præsentia, cùm in ipso sint omnes thesauri Sapientiæ & scientiæ Dei, sed in nostram eruditionem, ac instructionem ob rei gravitatem, quam aggrediebatur, in inimicis eligendis ac Apostolis ad tantum munus vocandis, ut nos in similibus præmeditemur.

Secundò, Juxta mare. propriè non erat mare, sed locus aquarum, quem Jordanis defluens, ac incidens in humiliorem locum, efficiebat. Tamen dicitur mare, ut observat D. Hieronymus Hieron. in quæstion. Hebraicis in Genesim; more Hebræorum, qui omnem congregationem aquarum mare appellabant. Lucas autem iste, ut colligitur ex Josepho de bello judaico lib. 3. cap. 18. in latine Josephi tudine continebat plusquam unam leucam, longitudine verò leucas tres superabat. Aquæ erant dulces, abundabant magna multitudine, ac varietate piscium Lacus varia habebat nomina ab oppidis, circa quæ defluebat, ut notat D. Pascha. Paschasus lib. 3. in Matth. Dicebatur lacus, seu mare Galilææ.



CAP. VIII.

Vocantur Petrus, & Andreas.

Matth. 4. n. 18. Ambulans Iesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus,